



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1494 usque ad annum 1507

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1769**

**VD18 90118448**

§. 53. Romandiolæ urbes a Valentini Duce summo Pontifici traditæ.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67025](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67025)

cluserat, oppida Victoris arbitrio cedere-  
 bant: Ravereus quoque summi Pontifi-  
 cis Nepos, qui nonnullas expugnaverat  
 civitates, in omnibus suo imperio sub-  
 ditis urbibus Hispanorum vexilla festive  
 erigi iussit. Demum Consalvus Hispani  
 exercitus Dux hisce victoriis necdum sa-  
 tur, Neapolin contendit, urbemque Vi-  
 ctor ingreditur, ac in fortitudinis, atque  
 obsequii præmium Alviano ex Bisignani  
 Principatus redditibus annuam octo mil-  
 lium Ducatorum pensionem constituit:  
 hac tamen liberalitate Columnensium in-  
 vidiam in se provocabat, qui nil intentatum  
 relinquebant, ut inclyti hujus Ducis  
 honorem, ac gratiam apud Hispaniæ  
 Regem diminuerent, valuitque succes-  
 sus; quamvis enim Consalvus ex Italia  
 excedere iussus non fuisset, ejus tamen  
 auctoritas arctissimis limitibus constrin-  
 gebatur.

## §. LIII.

*Romandiolæ urbes a Valentini Duce  
 summo Pontifici traditæ.*

Desperatas Gallorum res in Italia Va-  
 lentini Ducis exitum continenti ruina<sup>n. 47.</sup>  
 sequebatur, nam hic summo Pontifici ser-  
 vare cogebatur pollicitationem, qua Ce-  
 sensæ Gubernator spondit, quod ad il-  
 lius nutum urbem Alexandro quantocius  
 Hist. Eccles. Tom. XXXI. L1 red-

Sæcul. XVI.  
 A.C. 1504

**Sæcul. XVI.** reddere velit : nec minus ea tunc erat  
**A.C. 1504.** rerum vicissitudo, ut Papa Ducem brevi  
 ceteras quoque civitates restitutum merito sperare posset: Dux enim in arce S. Angeli inclusus, anxiiis votis libertatem exoptabat, cujus amore victus ultro Pontifici obtulit, se cunctas urbes, quibus Gubernatores præfecisset, Sedi Apostolicæ reddendum; Pontifex vero vicissim Duci spondit, quod Romandiolæ oppidis Ecclesiæ Patrimonia restitutis, ejus libertati plene cautum foret, hancque in rem Papa sanctiorem Patrum Senatum coegit, in quo Cardinales unanimi suffragio in summi Pontificis sententiam descendunt: cum vero Julio haud incognita esset subdola, ac versuta Ducis indoles, non plena eidem concessa est libertas, sed Roma quidem excedens, Ostiam contendere permittebatur, sub vigili tamen Cardinalis Carvajali custodia detinendus, usque dum pacti fides penitus exsolvisset. Nec inanis erat summi Pontificis cautela, quippe Gubernatores cum brevi rerum faciem mutari sperarent, urbes reddere recusabant: ipse quoque Valentini Dux clam in Franciam sese recipere statuit; ast Hispanorum, quorum potestati subjectus erat, solertiam fallere non poterat, cum vigili eum oculo semper custodirent: unde Carvajali dexteritate, ac blanditiis captus,

ptus, se Consalvi arbitrio relinquere de- Sæcul. XVI.  
 crevit, spe fretus, rebus suis apud Hi- A C. 1504.  
 spanos longe melius, quam inter Gallos consultum iri.

§. LIV.

*Dux captivus a Consalvo in Hispaniam missus.*

Ergo Valentini Dux misso Oratore Con- Marian.  
 salvum obtestatur, ut triremes ei sub- n. 48. & 49.  
 mitteret, quibus conscensis Neapolin fu-  
 gere possent. Scriptorum nonnulli, id  
 consentiente, alii vero, penitus inscio  
 Pontifice factum fuisse referunt. Utut  
 res se habuerit, Consalvus quantocius  
 tres triremes Ostiam procurrere jubet,  
 quas quidem Dux conscendit, nec tamen  
 inde sortem suam, sed duntaxat carce-  
 rem permutavit, quippe adversus Hispan-  
 nam clandestina concoquens consilia, ar-  
 cem Foroliviensem, quæ nondum Pon-  
 tifici reddita erat, retinere, ac Plumbi-  
 num, Perusium & Pisas sibi subjicere mo-  
 liebatur; quapropter Consalvus cuncta  
 ejus consilia evertens, excubitorum nu-  
 merum auxit, illumque fugam meditari  
 edoctus, Neapoli eum comprehendi, at-  
 que in Castro novo includi præcepit, nec  
 tamen Papa defuit, quominus Consal-  
 vum summis præcibus urgeret, ut Ducem  
 Ostiam remissum rursus ipsius potestati  
 tra-